

lis, sive *Ecclesiastica*, est illa quæ datur ob aliquem spiritualem titulum, ut prædicatoris, coadjutoris parochi, etc. *Media* autem est illa quæ non datur ob aliquod munus spirituale, sed est fundata in aliquo titulo spirituali, ut est illa quæ datur ad sustentationem parochi senis, clerici pauperis, etc. (1). Notandum 1. quod pensio super beneficium quomodolibet sit, debet a Papa designari. An autem Episcopus possit assignare pensionem in certis casibus necessariis, v. g. ad lites componendas, aut ad compensandam æqualitatem in beneficiis per mutationem, aut ad succurrendum (ut dictum est) paupertati alicujus clerici; alii hoc admittunt cum *Busem. ex c. 21. de præb. cap. 3. de Coll. et cap. Aqueductus, de rer. permut.* Sed Lessius, et Salm. negant dicentes hoc esse Pontifici reservatum, juxta stylum Curie romanæ, qui facit legem (2). Notandum 2. pensionem debere esse moderatam, adeo ut tertiam partem beneficii redditum non excedat (3). Notandum 3. quod, cum beneficium est juris patronatus, requiritur (ut dictum est num. præcedent.) consensus patroni ad renuntiationem, cum est conditionata, secus vero ad pensionem; ita Lessius, Busemb. et alii (4). Notandum 4. quod pensionarius, si recipit pensionem uti clericus (non autem uti laicus), tenetur ex Bulla s. Pii V. ad recitandum officium B. Virginis, et omittendo illud fructus non facit suos. Illi tamen qui officium majus recitant excusantur a tali onere; et equites Ordinum Militar. satisfaciunt aliis precibus a religione impositis, ut commune est apud omnes dd. (5).

60. Notandum insuper (loquendo de clericis in generali) 1. vetitas esse clericis artes viles, ut hospitis, lanii,

(1) L. 4. n. 437. — (2) Vide hæc, et alia l. 3. n. 74. et seq. — (3) L. 4. n. 438. ad 2. — (4) L. 3. n. 73. et l. 4. n. 438. ad 3. — (5) L. 3. n. 74. v. sed notand. et l. 4. n. 438. ad 4.

gestulatoris. Vetitum est etiam profiteri chirurgiam in morbis, ubi incisione aut adustione opus est, modo alius idoneus non desit (6). Hoc tamen solum vetitum est clericis in *Sacris*, ut habetur ex *cap. Sententiam, ne clerici*, etc. non autem beneficiatis, ut recte dicunt Bon. Mol. Tournely, Pontas, etc. (7). 2. Ordinatis in *Sacris*, et beneficiatis vetita sunt muria iudicis in criminalibus, et etiam in civilibus in foro sæculari; *cap. Sed nec 4. Nec cler. vel mon. et advocati in foro sæculari; c. Multa 1. eod. tit. et can. Cler. de post* ubi interdicitur ministris altaris, beneficiatis, et monachis, in *placitis sæcularibus disputare, excepta defensione orphanorum, aut viduarum*, ut dicitur in dicto *cap. Multa*. Et excipitur etiam, si defenderent aliquam causam propriam, aut consanguineorum intra quartum gradum qui defensores non invenerint. Clerici tamen in *Minoribus* licite possunt in quocumque foro causas civiles, et etiam reos in criminalibus patrocinari (8). Et monachis etiam permissum est ex licentia Prælati monasterii causas tueri; *cap. Ex parte, de postul. 3.* Vetitum est clericis cum mulieribus cohabitare, modo non sint mater, soror, aut amita, aut talis ut nulla ingeri possit periculi, aut scandali suspicio: et insuper arma deferre (nisi esset in itinere) ut dicit Busemb. (9); venationes clamorosas exercere: observa quod dictum est *Tract. 10. n. 72.* et negotiari, vide in *Tract. cit. n. 192. et seq.*

61. Denique notandum vetitum esse clericis et Religiosis ecclesiastica bona cujuscumque loci præ sine assensu pontificio alienare, ut ex *Extrav. Ambitiosa, de reb. eccl. non alien.* Sub nomine *alienationis* veniunt permutare, pignori dare, transactiones facere, cum pars remittitur. Sub nomine *Bonorum ecclesiasticorum ve-*

(6) N. 189. et l. 7. n. 334. ad 5. — (7) N. 385. — (8) Lib. 4. n. 490. et 219. — (9) N. 494.

niunt stabilia, debitorum nomina, annui redditus, jura, et servitutes in bona aliena, greges, et armenta, arbores fructiferæ, et summæ magnæ datæ ad emptiones faciendas stabilium; item veniunt bona mobilia pretiosa, quæ possint conservari, ut bibliothecæ, gemmæ, vasa aurea, aut argentea. Sub nomine *loci pii* intelligitur quilibet locus auctoritate Episcopi erectus, ut sunt seminaria, hospitalia, et confraternitates. Si tamen adesset aliquis fundus donatus Ecclesiæ cum facultate, ut arbitrio administratoris alienari possit, bene potest alienari ab eo sine Pontificis assensu, ut probabiliter dicunt Armul. Bonac. Cov. Croix, etc., nam tunc facultas habetur a domino rei. Sed ita pariter, si dominus prohibuisset alienationem, fundus, etiam accedente Pontificis assensu, alienari non potest nisi talis causa supervenisset, ut præsumere faceret consensum donantis (1).

62. Solemnitates autem pro bonorum ecclesiasticorum alienatione sunt sequentes: 1. Communis consultatio. 2. Episcopi, aut capituli, aut cleri, aut Prælati regularis consensus, et etiam domini, si bona beneficii alienentur. 3. Subscriptio ipsorum consentientium. 4. Assensus Papæ, aut S. C. juxta decretum Urbani VIII. sub die 8. septembris 1624; sed cum pretium esset tenue ex *c. Terrulas, 12. q. 2* conceditur Episcopo, ut per ipsum liceret alienari. Dubitatur autem quodnam pretium dicatur tenue: alii dicunt esse summam inferiorem centum ducatis; sed Delbene cum communi, (ut dicit La Croix) et ut deducitur ex Glossa ad illum textum citatum, dicit esse summam non excedentem 25. scuta aurea, quæ valent 40. scutis Romanis. Subjungit tamen Fagnanus in *cap. Nulli, de reb. eccl. non alienand. tom. 3, n. 26.* in hoc nihil haberi certi, sed summam remittit arbitrio iudicis. Et multi dicunt quod in casu necessari-

tatis, aut evidentis utilitatis, potest Episcopus licentiam dare pro qualibet alienatione (2); sed hoc debet intelligi, cum tempus non suppetit S. C. adire. An autem alienationes factæ sine solemnitatibus, sed ex juxta causa sint non solum illicitæ, sed etiam invalidæ? multi negant; sed alii probabilius cum Fagnano affirmant, præsertim si deest Pontificis assensus. Dicit La-Croix cum multis aliis quod, cum adest præscriptio 40. aut 30. saltem annorum, tum præsumitur intercessisse assensus pontificius (3). Advertendum quod locatio fundorum ecclesiasticorum, qui quolibet anno fructificant, non potest ultra triennium fieri: beneficiatus tamen, ut dicunt communiter, potest locare bona beneficii, durante sua vita (4).

CAPUT III.

De statu, et officiis nonnullorum sæcularium.

PUNCTUM I.

DE JUDICIBUS ET SCRIBIS.

63. et 64. *De iudicibus. Quando judeæ potest condemnare, aut inquirere, aut penam diminuere. Et an possit ex scientia privata judicare.*
65. *Et an possit judicare cum opinione minus probabili.*
66. *An possit cum commissario stipendium partiri; et an possit dona acceptare.*
67. *An possit sibi retinere pretium injustæ sententiæ.*
68. *De scribis.*

63. In hoc puncto multa quæ ad forum spectant, omissa facimus; dumtaxat hic adnotabimus ea quæ conscientiam respiciunt, et quædam forensia principaliora.

64. Et 1. circa iudices, notandum 1. non posse iudicem nonnullum damnare reum, si non est qui accusat; excepto delicto læsæ Majestatis, aut hæresis, aut si reus esset confessus in iudicio coram duobus testibus, aut si delictum esset notorium, aut si publica fama constaret, et indicia sa-

(2) N. 487. nota 6. — (3) Ib. v. si autem. — (4) Lib. 4. n. 487. nota 7.

(1) L. 4. post n. 487. de alienat. bon. eccl.

tis nota sunt majori parti regionis, aut viciniae. Ut autem possit procedi ad inquirendum sine publica infamia, et aliquando etiam ad sententiam, sufficit adhuc semiplena probatio, ut est unicus testis fide dignus (1). Notandum 2. iudicem inferiorem non posse penam diminuere sine aliqua urgente causa, ut potest supremus, quoties intervenit aliqua iusta causa (2). Notandum 3. quod si iudex sciat privata notitia aliquem esse reum, qui iudice constat esse innocens, non potest illum damnare juxta communem sententiam cum s. Thoma (3), quia cum iudex sit persona publica, debet ille procedere secundum allegata et probata, nimirum juxta publicam scientiam quæ habetur de causa. Et ita contradicunt Sanch. Salm. et alii cum ipso Angelico, quod si quis probatus est reus, sed iudex scit eum esse innocentem, tenetur iudex eum condemnare. Nilominus hoc ultimum valde probabiliter negant Sylvest. Lessius, Nav. Tol. Bonac. Holzm. Anacl., etc. damnare enim innocentem videtur intrinsece malum; sicut esset, si iudex obligaret mulierem cohabitare cum aliquo, quem privatim sciret non esse ejus virum. Ita res se habet circa pœnas corporales; sed in pœnis pecuniariis, et in causis civilibus iudex sine dubio judicare debet juxta id quod probatum est: Less. Lug. Bonac. Laym., etc. dum res publica pro communi utilitate, quæ habetur dum iudicium fertur juxta publicam scientiam, potest utique transferre bonorum dominia (4).

65. Notanda 4. est 2. propositio damnata ab Innoc. XI. quæ dicebat: *probabiliter existimo iudicem posse judicare juxta opinionem minus probabilem*. Merito fuit illa proscripita, quia iudex unicuique suum jus distribuere tenetur, et utique majus sibi jus habet illa pars, quæ probabiliores affert rationes. Cum autem

(1) N. 199. et 200. — (2) N. 205. — (3) 2. 2. q. 67. a. 2. — (4) L. 4. n. 208.

causa habet æqualem probabilitatem ex utraque parte, si illa est civilis, res dividi debet, modo causa quæ agitur non sit pupilli, viduæ, loci pii, aut matrimonii, quia tunc isti debent præferri. Si autem causa esset criminalis, semper reo favendum est, cum in sui defensionem adsint rationes probabiles (5). Fit autem dubium an in civilibus erit reo favendum rem possidenti? Certum est 1. possessori favendum esse, si rationes sunt æquales; ita communiter Sotus, Sylvest. Molin. et Sanch. cum multis aliis, ex regula 65. de Reg. jur. in 6. ubi sic dicitur: *In pari delicto, vel causa, potior est conditio possidentis*. Certum est 2. in dubio tam proprietatis, quam possessionis, iudicium ferendum esse pro habente sibi rationes probabiliores, ut apparet ex prop. damnata superius relata. Et cum rationes sunt æque probabiles, iudex tunc debet rem dividere, ut dictum est, et tunc nihil potest ab aliqua partium accipere, ut sententiam illi præferat, juxta aliam proposit. 26. ab Alexandro VII. proscripam (6). Sed dubitatur, si pro actore sint rationes probabiliores, pro quo iudicandum? In hoc casu ait Tamburin. iudicandum esse pro actore; sed communissime contrarium dicunt Carden. Holzm. Elbel, Bonac. Filguer. Croix; et quidam modernus doctus asserit hanc sententiam esse communem; quia (ut pluries dictum est, et præcipue in Tract. 1. num. 20.) legitima possessio dat jus certum ad rem retinendam, usquequod non constat illam non esse possessoris; et tunc iudex favendo possessori non solum iudicat juxta probabiliorum, sed juxta probabilissimam sententiam fundatam in alia regula juris, (Reg. 2. juris) quæ sic dicit: *Cum sunt partium jura obscura* (sicuti jam est, cum non adest certitudo ex parte actoris) *potius favendum est reo, quam actori* (7).

(5) N. 210. quær. 1. — (6) Lib. 4. n. 246. v. sed hic. — (7) N. 210. quær. 2.

66. Notandum 5. non posse iudicem cum commissario partiri stipendium quod ad commissarium spectat, quia iudicis munus est commissarium eligere (1). Notandum 6. non posse iudicem recipere dona ex partibus; et hoc certum est si dona sint pretiosa, quæ a lege dicuntur *sportulæ*. Sed dubitatur 1. an iudex possit recipere esculenta, et poculenta, *xenia* appellata? Multi admittunt cum Azor. Cajet. Sylv. Ang. Menoc. apud Salm. (2. ex L. Solet, §. Non vero, ff. de off. pret. et cap. Statutum. §. Insuper, de rescript. in 6. ubi permittuntur accipi esculenta sponte oblata modo hæc, (ut subjungit Glossa) nec directe, nec indirecte querantur. Sed negant Salm. n. 80. Soc. Nav. etc.; nam quoad L. Solet, illa correctæ fuit in Authentica §. Scriptum, et §. Jusjurandum; et quoad textum canonicum, dicitur quod ille tantum procedit pro iudicibus delegatis apostolicis, non vero pro aliis. Sed hæc distinctio mihi non suadet; dum nescimus percipere cur isti, et non alii iudices possunt id facere. Et ratio quam Glossa adducit in textu pro prima sententia, non est contemnenda: sicut, ait (Glossa), non est simonia, si Prælati regularis gratis recipit aliquid ab eo, qui religionem ingredi cupit, uti habetur in cap. Delict. 30. de simon. in fine, ubi dicitur: *Illud tamen gratis recipi poterit, quod fuerit sine taxatione* (nempe Superioris gratis oblatum). Quia non supponitur Prælati pro re gratuito oblata velle admissionem ad religionem venumdare; sic pariter non supponitur iudex ob tenue donum sententiam injustam velle proferre. Hanc opinionem in opere reprobavimus (3); sed hic re diligentius perpensa, eam reprobare nescimus; saltem in hoc (ut ait de Lugo) (4) non debet reprobari consuetudo, ubi reperitur legitime præscripta.

(1) N. 217. v. certum. — (2) Salm. tr. 29. c. 4. n. 74. — (3) L. q. n. 284. — (4) Disp. 37. n. 137. v. quarta.

Non dubitatur quin Episcopi in visitatione diœcesis victus moderatas expensas recipere possint, uti habetur in c. Romana, §. Procuratores, de censib. in 6.

67. Dubitatur 2. an iudex, prolata sententia injusta, teneatur antequam damnatorium in se detur iudicium ad restituendum id, quod accepit pro ferenda tali sententia? Alii probabiliter affirmant, ut Sot. Medina, etc.; alii tamen ut Less. cum s. Antonin. Nav. et Lugo cum Mol. Vasq. Reb., etc. (5), (et Salm. vocant hanc opinionem æque probabilem) etiam probabiliter negant, quia juxta legem naturalem posita opera male promissa, juste recipitur pretium, ut dictum fuit Tract. 10. num. 123. Opponent Adversarii L. 26. ff. de verb. oblig. et L. Pacta, 6. de pactis, ubi sic dicitur: *Pacta contra leges, vel bonos mores nullam vim habent*. Item opponunt c. Statutum, §. Si quid, de rescr. in 6. ubi imponitur restitutio pretii accepti, ac ne illud possit remitti. Sed respondet Lessius, quod licet ipsæ leges irrita faciant pacta turpia, ita ut nullam inducant obligationem antequam ponatur opus turpe promissum, posito tamen opere, licet auferant actionem talibus pactis agendi in iudicio, sed non auferunt (saltem expresse) naturalem obligationem, nec pretium acquisitum irritant. Et etiamsi adesset lex præcipiens restitutionem ante iudicium damnatorium, saltem requireretur sententia declaratoria juxta id quod dictum est Tract. 2. n. 25. (6).

68. II. Quoad scribas, intelligendo eos qui testes examinant, et acta iudicialia describunt, et partibus copias authenticas exhibent; hi peccant si augent aut minuunt depositiones, aut omittunt examinare aliquem testem jam productum; si occultant aliquam scripturam præsentatam, aut copiam remeant exhibere; si, cum aliqua scriptura præsentata

(5) Less. l. 2. c. 14. n. 55. Lugo disp. 37. n. 134. — (6) Lib. 4. n. 246.

est, aliam fietam loco ejus supponunt. Item peccant, si exigunt stipendium ultra taxam. Dicunt in hoc tamen de Lugo, Turrian. Salm. et Coreglia, cum Mol. et Dian. hodie non peccare scribas, si aliquid exigunt ultra taxas antiquas, quia hodie aucta sunt rerum pretia, unde non sufficit ad vitam sustentandam illud stipendium, quod dudum sufficiens erat (1); et si taxa antiqua hodie est injusta, ait Coreglia, cura Sanch. et Macado, ne obligare quidem iuramentum taxæ observandæ. Cæterum communiter omnes dicunt ultra justum pretium non posse scribam aliud recipere a partibus, etiam titulo donationis, quia tales largitiones nunquam sunt spontaneæ, Navarr. Rodrig. Salm., etc. Attamen si aliquem laborem extraordinarium adhiberet, tunc potest aliquid amplius accipere. An autem commissarius plures procuraciones assus executum, possit a singulis debitoribus totum stipendium diurnum exigere? Affirmant Lugo, et Less. 2. exemplo tabellarii qui aliquo missus ad efferendas litteras, potest sine stipendio ab aliis, qui ei litteras dant eodem ferendas, exigere, ut dictum est *Tract. 10. n. 209.* Sed hoc negant Sanch. Tamb. Dian. Salm. etc. dicentes quod salarium diurnum non datur commissario pro numero executionum, sed pro sua opera unusque diei, excepto, si pro executionum numero labor esset extraordinarius (3). Sed tamen hic oportet distinguere, quia Sanch. et Salmant. loquuntur, cum commissario taxatum est pretium pro occupatione sua cujusque diei; et tunc certe (ut concedit Lugo) non potest ille plus eo exigere. Sed cum commissiones essent disparatæ, et assignatum esset salarium speciale pro qualibet procuracione, recte dicit Lugo. posse commissarium exigere plura salaria, pro qualitate executionum; et hoc est quod sentit etiam Lessius.

(1) N. 230 et 231. — (2) Lugo de jus. d. 37 n. 138. Less. 1. 2. c. 24. n. 28. — (3) L. 4. n. 217.

PUNCTUM II.

DE ADVOCATIS, ET PROCURATORIBUS.

69. *An monachi, et clerici possint agere advocatos. Et quando advocatus tenetur defendere.*

70. *Quas causas potest defendere, et quanto salario, etc.*

71. *Si causa est justa, etc. Si conveniatur de salario in litis prosecutione, aut pactio fiat de quota litis.*

72. *De procuratoribus, si habent advocatum gratis. Si ipsi se offerant, etc.*

69. In primis quoad advocatos, notandum, 1. monachis, et clericis in Sacris vetitum esse alias defendere lites, quam proprias, et propinquorum, aut miserabilium (vide quod dictum est n. 60.). Notandum 2. quod in causis criminalibus potest advocatus defendere reos etiam nocentes, quia reus semper potest licite efficere, ut suam poenam vitet donec damnatus non est, aut saltem convictus; sed in causis criminalibus dubiis non potest advocatus defendere actores (4). Notandum 3. quod advocatus tenetur defendere eum qui est in extrema necessitate etiam cum incommodo suo gravi (non autem gravissimo), cum aliud remedium non apparet; Sanch. Castropal. Salmant. et alii communiter cum S. Thoma (2). In necessitatibus vero gravibus etiam tenetur defendere pauperes, sed non cum gravi incommodo; intelligitur semper ac habet superfluum suo statui. In necessitatibus communibus, sufficit ut eis det aliquid ex superfluis (5).

70. Notandum 4. quod advocatus potest certe defendere causas æque probabiles, sive actorum, sive reorum; et cum agitur de reis potest etiam minus probabiles. Dubium est an possit defendere causas actorum, quas ipse videt esse minus probabiles? Nonnulli id negant; sed probabiliscum communiori affirmant Lugo. Azor., Sanch. Busemb., etc. quia illa causa quæ tunc sibi videtur minus probabilis, potest judici videri, imo

(4) L. 4. n. 222. — (5) 2. 2. q. 74. l. 1. — (6) L. 4. n. 224.

postea veri probabilior. Tenetur tamen tunc suum clientem certiores facere de minori probabilitate suæ causæ (1). Notandum 5. quod si conventum est de pretio salarii, et cliens litem omisam faciat, bene potest advocatus de integro salario contendere, ut recte dicunt Salmant. cum Sayro, juxta id quod diximus *Tract. 7. n. 7. ad 4.* Hoc tamen intelligitur, modo non eveniret aliqua justa causa litem intermittendi (2). Notandum 6. quod si advocatus pactione conveniat cum cliente de annuali salario pro omnibus ejus causis, potest illud exigere, licet nullæ lites occurrerent; nam si postea plures exurgerent lites, ille non potest majus stipendium quærere, modo aliquis extraordinarius labor non requireretur. Si autem advocatus ægrotaret diutius, dum lites aguntur, debet ille saltem pro illo tempore salarium remittere (3).

71. Peccat advocatus 1. si defendit aut prosequitur causam certe injustam quoad proprietatem, licet esset justa quoad possessionem, quia sicut reus non potest tunc retinere rem, ita nec ille potest eum tueri. Si vero causa est injusta, advocatus tenetur restituere damna tam parti adversæ, quam suo clienti, si huic injustitia erat ignota. Ideoque antequam sibi onus causæ defendendæ suscipiat, tenetur sedulo meritum causæ perpendere, et clientem certiores facere de statu et qualitate illius (4). Peccat 2. si paciscitur de pretio, dum lis acitatur, ut habetur ex *cap. Infames, 3. q. 7.* Ille debet conventionem facere de salario, vel prius, vel postea, quia in decursu litis conveniendo, de facili cogi potest cliens, ut acquiescat solvendo pretium valde excedens. Si autem salarium esset certe justum, Salm. cum Navar. nesciunt eum damnare (5). Tanto magis peccat advocatus, si paciscitur de quota litis, v. g. de ter-

(1) N. 222. — (2) N. 225 v. notand. 2. — (3) Ibid. v. notand. 3. — (4) N. 223. — (5) N. 224.

I.

tia parte, aut quarta, si causa obtinetur, ex *L. Sumptus, ff. de pactis, et L. Litem, c. de Proc.* Nam tunc adest periculum totis viribus conandi litem superare, aut per fas, aut per nefas. Sed si pretium esset certe justum, neque ad restituendum eum damnant Lugo. Nav. Laym. Filliuc. et Sanch. cum Henriq.; dicunt enim ex pacto tunc non teneri clientem solvere pretium, de quo conventum est, quia tale pactum reprobatum est per leges; sed non propterea tenetur advocatus restituere quod accepit (6). Peccat 3. si plures suscipit causas, quam potest commode illis incumbere, nisi de illis certum faciat clientem. Peccat 4. si aperit parti adversæ arcana partis quam fuerit; modo (aliqui limitant) si secus fieret, pars adversa subitura esset injuste grave damnum; sed hanc limitationem alii non admittunt cum S. Thoma (7) Peccat 5. si dolis, aut dilationibus ad rem non facientibus utatur. Dicit in hoc tamen Sanch. (8) cum Silvest. Armil. Covar. Tap., etc. quod si ejus causa est manifeste justa, modo nullam falsitatem producat, bene potest uti dolis (vel ut melius dicat, dilationibus emendicatis), ut injustis dolis adversarii occurrat; citat etiam S. Thomam (9) qui ita dicit: *Advocato licet prudenter occultare ea, quibus impediri possit processus ejus.* Sed si causa non esset manifeste justa, nescirem quomodo possem permittere dilationes ad rem non facientes, quibus nonnulli indifferenter utuntur, (eas vocant *gubernationem causæ*) nisi in solo casu, quo timeretur probabiliter de injustitiæ sententiæ, quia adesset aliquis iudex ob humanos respectus parti adversæ valde affectus.

72. 2. Quoad procuratores notandum 1. quod si procurator habet advocatum aut scribam, qui operam suam gratis exhibet tantum illius cau-

(6) N. 224. v. nec licet. — (7) 2. 2. q. 71. a. 3. ad 2. — (8) Sanch. cons. 1. 6. c. 7. d. 8. n. 4. — (9) Cit. art. 3. ad 3.

20

sa, bene potest pretium quod ad illos spectaret sibi exigere, secus vero si illi salarium remittunt clientis causa. Notandum 2. quod si procurator substituit alium procuratorem, bene potest dividere cum illo salarium, modo illum admoneat de eo quod agendum est, et causæ periculum in se suscipiat, casu quo ob alterius negligentiam causa caderet. Notandum 3. id quod aliqui dicunt, nempe non posse procuratorem salarium accipere, si ipse se sponte offert adesse causæ, saltem cum cliens est sibi conjunctus, aut amicus. Sed ego nescirem clientem liberare ab omni onere satisfactionis, nisi constaret quod procurator omnes suos labores remittere voluisset, et quod ipse eam donationem acceptaverit; secus procurator semper habet jus ad mercedem quam meretur (1).

PUNCTUM III.

DE ACCUSATORE, TESTIBUS ET REO.

73. De accusatoribus. Quando debet fieri accusatio, aut denuntiatio. An custodes, etc.
74. Clerici quando possunt accusare. Et an debeat præcedere correctio. Præsertim si in communitate vivitur.
75. De monitoriis.
76. De denuntiationibus Hæreticorum.
77. De blasphemis hæreticalibus.
78. De superstitionibus.
79. De testibus. Quando tenentur, etc.
80. Qui omittit dicere veritatem.
81. Qui occultat veritatem.
82. De reis. Reus quando teneatur confiteri.
83. An cum pœna est magna.
84. Si falsum delictum sibi imponit.
85. Si falsum delictum imponit accusatori.
86. An reus possit resistere; et an teneatur fugere, etc.
87. An possit carcerem effringere; et an custodem pecunia corrumpere. An alii possint auxilium ei in hoc præbere, etc.
73. Et 1. circa accusatorem multat. scribunt, quæ in opere nostro observari possunt; at quia illa potius (1) l. 4. n. 233, 4.

ad forum quam ad conscientiam pertinent, hic omnia facimus; adnotemus tantum aliqua magis præcipua. Notandum 1. aliam esse *accusationem*, aliam *denuntiationem juridicam*, aliam *denuntiationem evangelicam*, sive paternam. *Accusatio* est illa quæ fit Superiori tamquam judici, ut reus puniatur, cum obligatione probandi delictum, et pœnam incurrendi, nisi probetur. *Denuntiatio* juridica fit superiori tamquam judici, sine tamen obligatione probandi delictum. *Denuntiatio* vero *evangelica*, sive paternam, est quæ fit superiori uti patri. Notandum 2. quod cum agitur de evitando damno communi, quilibet tenetur accusare delinquentem, ut cum delictum esset perduellionis, hæresis, aut latrocinii in publica via, et hujusmodi: et in istis casibus, ut dicit Sanch., potest aliquando iudex juste offensum ad offensorem patefaciendum obligare, ut damno publico caveatur. Dicunt tamen Sotus Cajet. Sanch. Lugo Salm., etc. ordinarie sufficere denuntiationem facere, quia de hoc satis contenti sunt Superiores (2). Talis obligatio etiam intercedit cum agitur de evitando innocentis damno, semper ac gravi incommodo non esset denuntiantis. Illi tamen qui stipendio locati sunt a republica, aut a dominis, ut denuntiant, aut accusent delinquentes, tenentur ad hoc etiam cum gravi incommodo, alias debent satisfacere damnum quod ex tali denuntiationis omissione oritur. Dubitatur an agrorum, aut gabellarum custodes, nisi denuntiant, teneantur solvere pœnæ valorem, quæ, si denuntiassent, exacta fuisset? Multi, ut Sotus Molina Laym. etc. affirmant; sed multi alii communius negant, ut A. or. Less. Lugo Sanchez Navar. Salm. etc., quia (ut dicunt) ipsi peccant quidem contra justitiam legalem, non autem contra commutativam respectu pœnæ; dum fiscus, aut domini non acquirunt jus ad pœnam, nisi post sententiam. (2) Lib. 4. n. 236.

tentiam; tanto magis quod finis legis nihil aliud est, nisi ut domini remaneant indemnes; unde sufficit, ut custodes restituant tantum gabellarum valorem, qui solvendus erat, aut damnum illatum (1).

74. Notandum 3. quod cum agitur de reparando damno proprio, aut propinquorum usque ad quartum gradum, aut Ecclesiæ, licite possunt clerici accusare delinquentes, etiam in causis sanguinis; modo expresse protestentur se nolle pœnam corporalem, sed solam damnorum restorationem (2).

Notandum 4. quod quando delictum vergit in damnum commune, licet sit occultum, debet denuntiari, prætermissa correctione, præsertim si delictum sit hæresis, ut habetur ex propos. 5. damnata ab Alexand. VII. Sed si delictum redundaret in damnum solius delinquentis, debet tunc præmitti correctio juxta Evangelium; sed si illa non prodesset, licet in Evangelio dicatur, quod debeat repeti coram uno aut duobus testibus, nihilominus si in aliqua religiosa communitate versatur, dicit s. Thomas (3) cum s. Augustino tunc expedire denuntiare delictum Prælato priusquam aliis: quia (ait s. Doctor) *Praelatus magis potest prodesse, quam alii* (4). Imo Angelicus alibi (5) animadvertit, quod cum Religiosus videt correctionem futuram fore utiliore per Prælatum, quam per se, tunc potest statim ipse denuntiare delinquentem Prælato: nam in secreta correctione magis principalis finis est fratris emendatio, quam illius famæ conservatio; et idem dicunt s. Bonav. s. Antonin. Sanch. Sot. Castrop. Laym. etc. (6). Et rationabiliter subjungunt Laym. Sanchez et Suar. quod cum delictum (sive sit grave, sive leve, non adhuc est emendatum, et timetur relapsus,

(1) N. 237. — (2) N. 238 v. 4. inimicus. ad 6.—(3) 2. 2. q. 33. a. 8. ad 4.—(4) Vid. l. 4. n. 242.—(5) Quodlib. 44. a. 13.—(6) l. 4. E. 243.

semper melius erit a principio illud denuntiare Superiori, qui prudens judicatur (ut plerumque æstimari debet; nisi constet de contrario), qui semper melius alii reparare potest; tanto magis quia omnia delicta particularium in communitatibus religiosis (ut p. Suarez) fere semper redundant in commune damnum, aut propter scandalum, aut propter infamiam, quam religio potest sufferre. Qua de re merito a Pontificibus approbata fuit regula Societatis Jesu, ut quisque Religiosus deferre possit ad Superiorem delictum, quin aliquam correctionem præmittat (7).

75. Notandum 5. quod cum per edictum, aut monitorium publicum præcipitur denuntiare aliquod delictum, non adest obligatio denuntiandi illud, nisi quando delinquens est diffamatus, aut saltem si habeatur indicium, aut cum est in damnum communitatis, aut tertii; sed cum hac differentia, quod cum delictum est tantum in damnum tertii, debet præmitti correctio, et non adest obligatio denuntiandi cum damno proprio; sed cum delictum est in damnum commune, totum contra; tunc enim non tenetur præmittere correctionem, et quilibet denuntiare tenetur, etiam cum proprio damno (8). Hoc valet pro monitoriis in generali, sed loquendo de monitoriis particularibus, pro quibus Episcopus excommunicationem fert (ut concessit s. Pius V. in Bulla *Sanctissimus*), in injuste retinentem, aut non revelantem intra certum tempus eum qui refinet, alterius bona, intellige notabilis valoris) ablata, aut inventa in hoc debet adverti cum *Instructioe confess. tyron.* et cum Barbosa (9), qui citat alios aa. fere communiter uniformes, non teneri denuntiare: 1. Ipsum furem. 2. Eum qui furem quidem scit, sed sine gravi proprio incommodo denuntiare non potest.

(7) N. 245. quær. 3. et 4.—(8) Lib. 4. n. 248.—(9) Instruct. p. 2. n. 265. Barb. de pot. Episc. alleg. 96 ex n. 44. ad 67.

3. Eum qui cogi non potest ad testimonium ferendum, ut filius, uxor, parens, et *Instructor* præfatus cum Bonac. dicit idem de conjunctis usque ad 4. gradum, et omnium eorum, qui sunt de familia ejusdem qui rem detinet: sed non excusat servos, quoties ab illorum servitio sine gravi incommodo discedere possunt. Infames tamen, licet fidem non faciant, tenentur denuntiare. 4. Eum, qui solus scit factum, et non potest alium habere testem, ut probet illud. 5. Eum qui nescit certa scientia, aut qui a personis dubiæ fidei scivit, aut non meminit a quo audivit, aut si scivit ab eo qui jam denuntiavit. 6. Eum qui juste compensavit pro suo credito. 7. Eum qui tempore monitorii existebat extra diocesim; non autem qui a diocesi proficiscitur antequam terminus monitorii spiret. 8. Eum qui delictum cognovit secreto naturali commisso, aut promisso. Dicunt tamen nonnulli canonistæ apud Riccius (1), ut Felin. Abb. Rip. etc. laicos teneri denuntiare furem, licet sciverint secreto; sed theologi communiter, ut Sotus, Azor. Salm. Navarr. Filliuc. Arag., etc. cum s. Thoma (2) docent oppositum. Potest emanari monitorium etiam pro scripturis authenticis occultatis, licet non sint partis, sed tertii; modo hic tertius non sit in causa, ut dicit idem *Instructor*, ex cap. 1. de probat.

76. Notandum 6. circa obligationem denuntiandi hæreticos, si isti tantum sunt de hæresi suspecti, ut sunt confessarii sollicitantes ad turpia, sortilegia patrantes, Sacramentis abutentes, duas uxores ducentes, Sacramenta ministrantes sacerdotio non initiati (alii addunt sacerdotes sigillum frangentes sacramentale, sed hoc communis negant Lugo Molin. Bonac. Salmantic. etc.): item blasphemias hæreticales effutientes, omnes isti denuntiare debent, sed non adest

(1) Lib. 4. in praxi, de monit. n. 22. et 43. — (2) 2. 2. c. 70. a. 1. ad 1.

obligatio denuntiandi cum gravi damno proprio. Et probabiliter, ut dicunt Lezana, Bord. Dian. Homob. etc. etiam excusantur a denuntiando omnes conjuncti usque ad 4. gradum, quia in hoc semper adest grave damnum aut incommodum. Secus autem si sunt hæretici formales, ut tenendum est cum Suar. Salm. Fel. Po-test., etc. contra alios, quia hæresis est lues quæ semper in damnum commune redundat. Ideoque isti denuntiandi sunt etiam cum damno proprio: et non tantum a fratribus, sed etiam ab uxoribus, filiis et a parentibus juxta sententiam communissimam Azor. Bonac. Ronc. Salm. Dian. Viva (3).

77. Notandum 7. præsertim circa blasphemias, aut propositiones hæreticales, quod quando illæ prolatae sunt serio et advertenter, adest obligatio denuntiandi intra mensem, ut dicit præfatus *Instructor*, contra Salmant. qui volunt intra sex dies; sed Salm. loquuntur de legibus particularibus Hispaniarum. Dictum est serio et advertenter, quia non adest obligatio denuntiandi propositiones, aut blasphemias prolatae ex ignorantia, aut lapsu linguæ, aut eo iracundiæ impetu, ut proferentem extra rationis usum abripuerit, aut prolatae sine pertinacia, quæ semper necessaria est ut ad denuntiandum obligationem inducat, ut dicunt idem Salm. cum aliis (4). Olim ex Concil. Lateran. erat obligatio denuntiandi omnes blasphemias etiam simplices; sed ut dicunt Sanch. Tamb. et Mazzotta, hodie hæc obligatio abiit in desuetudinem, saltem ut volunt Salmant. cum Bonac. Trull. etc. cessat hæc obligatio, si delinquens emendatur per correctionem (5).

78. Notandum 8. quod, generaliter loquendo, debent etiam denuntiare superstitiones, cum sunt qualificatae, nempe cum sunt factæ cum

(3) Lib. 4. n. 249. et 250. — (4) N. 252. et 1. 3. n. 423. — (5) L. 4. n. 252. et 254. notand. 2.

pacto aut invocatione expressa demonis, aut eum adorando, aut certos psalmos aut preces recitando quibus videtur in auxilium invocari ille; aut hostiis consecratis, chrismate, aut oleo sancto abutendo, aut si illas ex professo docuerint vel docti fuerint; aut si effectum consecutæ sint. Dictum est generaliter loquendo, quia in regno nostro, quoad sortilegia a sæcularibus patrata, ex insinuatione nostri regnantis regis Caroli, nulla adest obligatio eos denuntiandi ad tribunal ecclesiasticum, nisi cum intercederet Eucharistiæ, aut olei sancti abusus (1). Notandum tandem quod in eos qui culpabiliter omitunt denuntiare, adest excommunicatio, sed ferendæ sententiæ; nec est reservata, ut advertunt Bonac. Lugo Fel. Potestas etc. (2).

79. 2. Quoad testes, ommissa faciemus hic ea quæ ad forum pertinent. Notabimus dumtaxat 1. testem non teneri veritatem fateri, ut dicit s. Thomas (3), nisi cum ea opus est secundum charitatem ad reparandum aliquod grave reipublicæ aut proximi malum, aut ut pareatur iudicis mandato, qui legitime eum interrogat, nempe cum semiplena habetur probatio publicitatis delicti, aut indiciorum evidentium, etc. alias non tenetur testis ad deponendum quod scit (4). Sic pariter non tenetur, quando inde proveniret sibi, aut suis aliquod damnum, aut cum sub naturali secreto factum cognovisset, ut dicit s. Thomas l. c. art. 2. modo revelatio non expediret ad vitandum commune damnum, aut ut liberaret proximum ab aliquo futuro damno (5).

80. Notandum 2. quod si quis advertenter falsum testatur, et ejus depositio est damni alterius causæ, nemo dubitat quin totum damnum restituere teneatur (6). Sed dubitatur 1. an peccet, et teneatur ad restitu-

(1) N. 253. — (2) N. 254. v. notand. 3. — (3) 2. 2. q. 70. a. 1. — (4) l. 4. n. 261. ad 267. — (5) Vide hæc, et alia n. 268. — (6) N. 270.

tionem testis, qui veritatem fateri renuit, in casu quo tenetur eam aperire ex justitia, aut ex charitate? Oportet distinguere: si iste effugit ne citetur, peccat contra charitatem non autem contra justitiam; qua de re nihil tunc tenetur restituere, ut fatentur omnes. Si autem citatus jam elabatur, nonnulli eum obligant ad damnum; sed communiter, et probabilius negant Lugo Less. Mol. Silvest. et Bonac., quia citatio dumtaxat ad obedientiam eum constringit non autem ad justitiæ actum (7).

81. Dubitatur 2. an ad restitutionem teneatur testis, qui a iudice legitime interrogatus veritatem celat, quin falsum testetur, v. gr. dicendo se nihil scire? Multi affirmant, ex eo quia, posito iudicis præcepto, ex justitia tenetur testis veritatem fateri. Sed probabiliter negant Molina Less. Bonac. Lugo Raynaud. et alii propter eandem superius allatam rationem, quia iudicis præceptum testes ad testificandum non obligat ex justitia, sed solum ex obedientia. Hinc infert Ciera (8) cum de Januariis hunc ne casum quidem reservatum incurrere, quia reservatio (ut ait) afficit falsum cum positivo mendacio, non autem negative testantem. Dicit tamen Bonac. quod si testis jurat se quod scit fassurum, tunc tenetur ex justitia veritatem aperire propter jurandum promissorium quod præstitit. Sed huic probabiliter respondet Lessius, quod testis jurando veritatem dicturum, non intendit se ligare justitiæ, sed tantum religionis vinculo, quæ religio non obligat ad restitutionem (9).

82. 3. Quoad reos, Notandum 1. quod non tenetur reus suum delictum confiteri, si iudex non est legitimus, aut nisi legitime interroget, id est (ut dictum est) nulla præcedente saltem semiplena probatione, aut infamia, aut indicii manifestis

(7) ib. dubit. 1. et 2. — (8) De casib. reser. d. 7. n. 62. — (9) l. 4. n. 270. dub. 3. Alia spectantia ad forum vide n. 272.

delicti, ut inquit s. Thomas (1): *Aliud est veritatem tacere, aliud falsitatem deponere. Quorum primum in aliquo casu licet, non enim aliquis tenetur omnem veritatem confiteri, sed illam solum, quam ab eo potest requirere iudex, jura cum præcessit probatio semiplena.* Et etiam in dubio an iudex legitime interroget reum, non tenetur respondere, quia ille, cum etiam possidet jus ad propriam vitam et famam, in dubio prosequitur possidere jus ad illius conservationem, usquedum non constat de legitima interrogatione; ita communissime Sotus Less. Laym. Cajet. Sanchez Lugo Navar. Busemb. Salmant. contra Palud. et Silvest (2).

83. Sed quæritur 1. an reus legitime interrogatus, ante sententiam teneatur suum delictum fateri cum timore magnæ pœnæ? Affirmant Sot. Less. Sanch. Salmant. etc. cum s. Thoma (3), quia iudex, cum interroget legitime, habet jus veritatem sciendi. Sed negant multi alii, Suar. Lugo, Sa Peyrin. Villal. Elb. Busemb. qui putant non adesse hanc legem tam duram et imbecillitati humanæ quasi impossibilem, ut quis teneatur delictum confitendo quasi ex se vellet damnari gravi pœna (nimirum mortis, treremium, carceris perpetui, aut perpetuæ infamiae etc.); nisi esset, ut damno communi consuleretur, v. gr. hæresis, rebellionis etc. Et si probabile est talem non adesse legem, probabile pariter est iudicem jus non habere ad exigendum in eo casu a reo veritatis testationem. Prima sententia est probabilior, hanc tamen secundam improbabilem vocare non possumus: ceterum communiter licent Sanch. Salm. cum aliis, confessarium in eo casu non debere reum obligare ad delictum suum confiteri, cum videt quod difficulter poterit eum ad hoc inducere, et scit eum esse in

(1) S. Th. 2. 2. q. 59. art. 2. — (2) I. 4. n. 272 et 273. — (3) 2. 2. q. 69. a. 1. ad 2.

bona fide (4). Dictum est autem ante sententiam, quia post eam jam iudicium completum est, unde reus non tenetur amplius confiteri, ut dicunt Laym. Sanch. Salm. etc. Imo subjungunt quod ne ante sententiam quidem tenetur reus suum patefacere delictum, nisi iterum interrogetur. Sed huic probabilius contradicunt Sot. Navar. Sayr. et alii communiter (ut fatetur ipse Sanchez), quia ante sententiam perseverat iudicis præceptum (5).

84. Quæritur 2. an graviter peccet innocens, qui sibi delictum capitale imponit, ne gravi tormento torqueatur? Negant Less. Sot. Tol. Silvest. Busemb., etc. quia non tenetur quis vitam tanto incommodo servare, juxta id quod dictum est, *Tr. 8. n. 2. in fin.* Excipit tantum Busemb. cum Tanner. casum, quo ex tali confessione damnum commune emanaret, aut familiæ infamia. Affirmant contra, et quidem probabilius Molin. Lugo Nav. et Covar. et licet Lugo primam sententiam habeat ut probabilem propter patronorum auctoritatem nihilominus hanc absolute tueretur. Ratio est, quia licet mediis adeo duris non teneatur homo suam vitam tueri, attamen non potest positive cooperari morti suæ injustæ, dum ipse non est suæ vitæ dominus. Hinc recte infert Molina, quod reus etiam post confessionem tenetur dicta revocare, semper ac illo modo possit mortem impedire. Sed hic pariter dicit quod si reus sit in bona fide, non debet confessarius eum obligare, ut se retractet, cum periculo quod ille, ut vitet tormenta, peccet formaliter, denuo delictum quod non patravit, sibi imponendo (6). Sed si reus denunciavit alium innocentem, nemo est qui dubitet quin teneatur se revocare, licet quodcumque tormenti genus subiturus fuisset (7).

85. Notandum 3. nunquam reo

(4) I. 4. n. 274. — (5) ibid. in fine. — (6) Lib. 4. n. 275. — (7) N. 276. ad 3.

licere, licet esset innocens, accusatorem aut testem falso crimini dare, ut causam tueatur, ut certum et ex prop. 44. ex proscriptis ab Innoc. XI. Contra certum est licere delictum occultum, sed verum, accusatoris aut testis prodere, quia hoc absolute conducit, ut sua innocentia cognoscatur, et ut ipse grave damnum vitet; ita communiter Sanch. Milapt. Roncagl. Salm. et Viva (1). Vide dicta *Tr. 11. n. 7.* et idem dicunt Sanch. Ronc. Salm. et Coregia, cum rei delictum esset omnino occultum, quia testis deponendo de delicto penitus occulto, idem est ac si testaretur de falso. Et hoc, ut subjungunt Lugo Milant. et Viva, etiam procedit si testis non testificaretur ultronee, sed a iudice arcessitus (2). Notandum 4. quod si delictum est ex exceptis, tenetur reus, etiam non interrogatus, complices revelare; secus si delictum non est ex illis, tunc nec tenetur nec potest, si illorum delictum est omnino occultum. Dicunt tamen Laym. Less. et Busemb. si tormentorum vi eos prodat, non peccare (3).

86. Notandum 5. quod reus injuste damnatus, non potest satellitibus obsistere *vim vi repellendo*, v. g. occidendo, aut vulnerando, ut constat ex prop. 18. Alexand. VII. Sed potest quidem positive obsistere, ut ex satellitum manibus liberetur, modo non adsit scandalum, aut gravis perturbatio, ut docet s. Thomas (4). Secus, si adhuc non est condemnatus, sed carceribus detinetur: aut si juste est morte damnatus (ut dicit ipse s. Doct. l. c. ad 2.), quia sententia solum damnat ne obsistat, non autem ne fugam arripiat, non potest jam tunc resistere, potest vero licite fugere e carceribus; et idem dicunt Sot. Tol. Cajet. Ronc. Salm. etc. communiter de pœna ad treremes, aut ad flagella, aut carcerem perpetuum; modo carcer non sit ille in pœnam jam designatus, ut communiter dicunt dd. Sed Lugo Sanch. Less. Nav. et Sal-

(1) N. 277 resp. 2. — (2) Ib. v. sed quid. — (3) N. 278. — (4) 2. 2. q. 69. a. 4. in fin.

mant. (contra Vasq. etc.) excusant damnatos qui e treremibus fugiunt. Quæritur autem an reus resistere possit, si sententia fuisset justa secundum externas probationes, sed injusta secundum veritatem? Alii negant; sed Lugo et Roncaglia non improbabiler id admittunt, quia præsumptio cedere debet veritati innocentiae, quæ dat jus ad defensionem, modo id fieri possit sine scandalo et perturbatione, ut supra dictum est (5). Dicunt autem aliqui quod morte damnatus tenetur fugere, si potest; sed hoc recte negant Sot. Silv. Sa Salm. etc. quia juste potest manere in carcere, præsertim si id agat, ut sui peccati piacularem luat pœnam (6).

87. Cum igitur e carcere possit damnatus fugere, potest eum etiam infringere; dum cui permittitur finis, conceduntur etiam media: ut dicunt Sot. Cajet. Lugo Tol. Less. Salm. et Ron. Nec ideo ad damni refectionem tenetur, quia tale fractionis damnum per accidens evenit ut subjungunt Salm. cum Valent. Bann. et Sayr. Dicunt insuper Salm. Ronc. Tamb. etc. quod potest reus etiam pecuniis corrumpere custodem; sed huic acquiescere non valeo, dum numquam licet proximum ad actionem intrinsece malam inducere; qualis esset si carceris custos eum aperiret, suo in officio delinquendo (7). Cum autem liceat reo fugere, licebit quoque aliis ei suppeditare funes, limas, aut alia instrumenta, ut fugiat; sicut docent Sylvest. Vasq. Less. Lugo Sanchez Ronc. Busemb. Salmant. etc. contra Sotum; modo fuga, ut recte limitant Salmant. et Ronc. non obfutura fuisset rei publicæ, v. gr. si latro esset viarum grassator. Nemini contra fas est carceres infringere, ut liberet damnatos: Roncagl. et Busemb. cum communi (8). Quomodo se gerere debeat confessarius cum damnatis morte, observa quod dicitur *Tract. ult. punct. 8.*

(5) I. 4. n. 284. v. sed. — (6) I. 4. n. 284. — (7) N. 282. — (8) N. 285.